I. N. D. N. J. C.

DISPUTATIO POSTERIOR

De

Tactu Regis Franciæ,

qvo Strumis laborantes reſti-tuuntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quam,

in Academ. Witteberg.

PRÆSIDE

M. JOHANNE JOACHIMO ZENTGRAFIO

Argentoratenſi,

Publicè defendet

JOHANNES ADAMUS Metz

Merxhemiô-Hunnus,

Ad d. 23. Octob. 1667. In Audit. Minori,

Horis matutinis.

WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. LXXV.

ARTICULUS SECUNDUS,
PHYSICUS.

§. 1.

ITa Hiſtorica veritas habuit; Jam, *num virtute aliqua naturali an verò ſupernaturali, mali hujus curatio fiat*, videbimus. Pro verò *miraculo* ut plurimum ſtant *Galli*. Audivimus ſupra *Grammond.* cui addi poteſt *Laurent.* de mir. Strum. ſan. l. 1. c. 10. Diverſimode tamen ſentiunt in cauſa, cui vis hæc ſupernaturalis accepta debeat referri, asſignanda. *Robert. Cænal.* lib 1. deſcript. Gall. Peri. 14. *Maſſon.* l. 3. Annal. pag 347. *precibus S. Marculfi*. ad cujus templum recens uncti Remis Reges proficiſcantur, hoc donum deberi affirmant. Sed falſum hoc eſt, & in Theologia jam deſtructum fundamentum. Alii, & qvidem plures, confugiunt ad *oleum cæleſte*, qvo Galliæ Rex ungi dicitur, vid *Hubert. Mor.* de ſ. Un. l. 3. c. 5. *Gvilbelm. Marlot.* de Conſecr. Reg. l. 4. c. 17 *Laurent.* de Strum. l. 1. c. 10. & alii. Verum obſcurum per æqvè obſcurum, imò falſum, probatur, cum hodiernos Galliæ Reges chriſmate, qvod, cum Clodoveus baptizatus fuit, cœlitus miſſum eſſe fertur, ungi, ut *Aimoion.* Hiſt. Franc. l. 1. c. 16. *Gvilbelm. Brito.* Philip. l. 1. & communiter, nuperq; adhuc *Buffier.* Hiſt Franc. P. 3. p. 24. notarunt, non ſolum ipſi Gallorum Hiſtorici *Thuan.* l. 119 Hiſtor. *Blondell.* Geneal. Franc t. 1. f. LIV. 3 ſeqq. & nuper *Benjamin Priol.* Hiſt. Gall. ab Exceſſ. Ludov. XIII. pro certo affirmare non auſint; Verum etiam *Chiflet.* Disqviſ. de Ampul. Rem. multis argumentis hanc traditionem refutaverit. Et fingamus eſſe hoc oleum, cœlitus delapſum; Cur hanc virtutem ſtrumas curandi non *Carolingi*, qvi æqvè ac *Capetingi* illo uncti feruntur; habuerunt? Cur Reges Remis non uncti, & qvi templum S Marculfi non adierunt, hac facultate ſtrumas curandi prædici fuerunt?

 §. 2. Gal-

§ 2. Gallis ſubſcribit Jeſuita *Martin Delrio* diſqviſ. Mag. l. 1. c. 3. q. 4. *De Regibus Franciæ* inqviens, *res clarior eſt, hoc illis beneficium à Deo qvondam conceſſum fuiſſe, ut contactu ſtrumas ſ. ſcrofulas ſanarent. Si vis ea naturalis fuiſſet, non per traducem hæreditariam regni tranſiviſſet in regem ſolum, excluſis cæteris fratribus, qvorum ſæpè temperies & complexio patri ſimilior, qvam Regis ipſius. Conditio qvoqve ſceptri ſeu Coronæ, cui comes illa facultas media, nihil tale poterat naturaliter largiri;* Seqvitur hunc ex noſtris, qvod miror, vir clariſſ. Dn. D. *Dan. Georg. Morhofius*, in cujus diſſert. de Princip. Med. Roſtoch. Ann. 1665. habitam, dum hæc ſcribo incidi, qvi curationem hanc *miraculum* vocat. *Aufer has*, inqviens, *à noſtro miraculo ſuſpiciones, ut qvod pietate pravia à Deo impetratur, qvodq; Deus ſpeciali gratia Majeſtati Regiæ concedit, &c.* Datq; in antecedentibus rationem, dicens: *Argumento eſſe poſſunt actus plus qvam humani, apparatus illi religioſi, preces, jejunia, confeſſio peccatorum, vita pura & ſancta, qvam imprimis, (referente Phil. Honor. in Relat. de regno Gallic.) commendavit filio Ludovico Hutino morti vicinus Philippus Pater, monuitq; ſine illa nullum fore locum miraculo.*

§. 3. Huic opinioni noſtram opponimus ſententiam, *virtuti alicui naturali, non vero ſupernaturali hujus mali curationem, qvæ fit per manum Regis*, adſcribentes. Rationes partim de adverſariorum ſententia dubitandi, partim noſtram confirmandi ſunt: 1. *Qvia ſimiles effectus per contactum absq; medicamentorum uſu, naturaliter obtinentur.* Adducitur à nonnullis illud genus hominum in Hiſpania, qvi *ſaludadores ſ. Salutatores* vocantur, afflatuq; aut verbis morbos ſanare dicuntur, *qvos ſuo munere licite perfungi, poſſe Navarrus* Man. c. ii. n. 36. à *Delr.* adductus putat, nec univerſim rejiciendos eſſe ipſe *Delrius* Diſq. Mag. l. c. contendit. Verum ſint homines perditisſimi, nec illis in Italia impoſtoribus, qvi ſe *ſalvadori* h. e. *ſalvatores* nominant apud *Boiſſard.* de Divin. c. ii. disſimiles, qvi huc referantur non merentur. *Pſyllos & Marſos* adducit *Scævola Sammarthan.* Elog. l. 5. p. 155. *Marſorum*, inqviens, *in Italia & Pſyllorum in Africa natio, morſibus venenatis aſpidum, cæterorumq; ſerpentum diris ictibus, ſive tactu, qvin etiam voce, arcano qvodam Naturæ miraculo præſentisſimum fuit, & efficacisſimum antidotum.* Verum *Gaſſend.* Phil. Epic. p. 559. *nihil mirum eſſe dicit, qvod ferunt de Pſyllis,*

lis Tintyritis & aliis, cum & in iis locis degant, & iis alimentis nutriantur, ex quibus facta temperies venenum ſerpentum, crocodilorum, aliorumq́ hujusmodi animalium non timeat. Cæterum qvicqvid etiam *de Pſyllis* hiſce ſit, concluſionem poſitam ſufficienter probari exiſtimo exemplo Pyrrhi, Veſpaſiani. & qvod præcipuè & obſervatione & admiratione dignum eſt, *Balliolorum* in Gallia.

§. 4. De *Pyrrho* ſupra ex *Phot.* egimus; addiq́; poteſt *Plin.* Hiſt. Nat. l. 7 c. 2. Cenſet eqvidem *Delrio* Diſqviſ. Mag. l. 1. c. 3 q. 4. cum *Anton. Mirand. mendaciis incredibilibus hoc adnumerandum eſſe.* Sed qvomodo probat? Et unde ſcit *Balthaſar de Vias* Sylv. Reg p. 103. *Pyrrhi Magico ſacrificio pollicem fuiſſe incantatum.* Conjectura non eſt argumentum. Sic de *Veſpaſiano* nemini non notum eſt, *qvod, cum e plebe qvidam luminibus orbatus, item alius debili crure, ſedentem eum pro tribunali adiiſſent, orantes opem valetudinis, demonſtratam à Serapide per qvietem: reſtituturum oculos, ſi inſpuiſſet: Confirmaturum crus, ſi dignaretur calce contingere; Diu cunctatus, palam tamen tandem pro concione utrumq́ tentaverit, nec eventus defuerit*, teſte *Sueton.* Veſp. c. 7. Adjicere poſſemus ea qvæ de *Adrian.* Cæco viſum contactu reſtituente, *Æli. Spartian.* memorat: Verum cum ipſa lubrica ſit narratio, ea miſſa, qvæ, de illuſtri *Balliolorum* in Gallia Familia exponit *Scævola Sammarthan.* Elog. l. 5. p. 155. ſeqq. in Elog. *Nicol. Balliol.* addimus. *Balliolorum*, inqvit, *familia inſigni divinæ providentiæ beneficio apud nos ſeu prolapſu, ſeu violantia, ſ. ictu fracta aut luxata oſſa, nervosq́; & artus contuſos, vel qvovis modo ſede ſua emotos, vi tacita ſanare, & in priſtinum vigorem roburq́; reſtituere in more poſitum habet.* Et paulò poſt. *Primus Lutetiæ Joannes Balliolus Abbas Juenvallenſis ſub HENRICO II. cujus & Eleemoſynarius fuit, admirandus & per opportunas curationes adhibuit; qvod & explevit alter qvoq́; Nicol. Balliolus, Regi CAROLO IX. inprimis charus &c. Vidi ego, dum ægros curaret, habiliq́; & blandienti manu oſſa luxata vel fracta, nervosque & artus è ſede proſilientes aut diductos tractaret, atque ad conſueta munia revocaret, tum tanta dexteritate uſum, ut ſeu manus agilitate, ſeu opinione, qvam de tanto viro percepiſſet æger nullos interea ſentiret dolores. Præterea ſic apte ligamenta præparabat, & ægra corpora obligabat, adeoqve inexplicabili ſerie & ordine faſcias vittas conſtringebat, ut non amplius oſſa, vel artus vel nervi dehiſcerent, aut dimoverentur;*

 tur;

tur; Sed bujuſmodi ligaturis & manus tractatione facilè ſ qverentur, quocunq́, torqveret & in ordinem ill s reduceret. Eandem ſanandi virtutem etiam Filius natu Major *Nicol. Ball:ol.* habuit. Qvibus ita poſitis in hunc modum argumentor:

Si alii morbi graviſſimi ſolo contactu ſine miraculo potuerunt curari, etiam ita de ſtrumarum curatione per tactum à Franciæ Rege facta, niſi gravis & urgens ratio aliud ſvadeat, ſentire licet. Tamdiu enim in naturâ à miraculoſo & cauſæ primæ concurſu ſpeciali abſtinendum eſt, donec ſufficiens ratio illum ſtatuendi detur. Sed verum eſt prius per ſupra poſita E. & poſterius. Sed ſufficiens hactenus non data fuit ratio.

Dicis: Atqvi virtus hæc cum regno ad ſucceſſores deſcendit. Reſp. Idem de ſe dicere poteſt *Nicol. Ball:ol.* Ut de *Angliæ Regibus*, de qvibus mox, nihil addam.

§. 5. II. Ratio eſt *qvia malum hoc ab aliis per contactum operantibus, vi qvâdam naturali tollitur, unde nec in Franciæ Rege Chriſtianiſſimo, ſtatim ad miraculum eſt confugiendum.* Patet hoc exemplo *Regis Angliæ*, qvi, ut ſupra expoſui, arte medici deficiente, ſuo attactu auxilium fert ægrotis; *Comitum de Habsburg.* apud *Fel. Fabr. Hiſt.* Svev. l. 1. c. 15 & *maſculi VII.* non interveniente puella nati, conf. *Bung.* de Myſt. Num. c. de Num. VII. Licet vero hoc à compluribus in dubium vocetur, admittitur tamen à *P. de Lanre*, miraculi Patrono, qvi ſe multa vidiſſe exempla de ſtrumoſis à maſculo ſeptimo curatis ait, cui, & aliis qvi idem admittunt, hanc dedi inſtantiam. Hoc ipſe ſcio, maſculum ejuſmodi VII. medicinæ operam dantem, ſtupenda in curandis ſtrumis præſtitiſſe, iisdemqve verò, qvæ ille adhibuit, medicamentis alios, etiam feliciſſimos, medicos nihil obtinere potuiſſe. Et qvicqvid etiam ſit de *Comitibus Habsburgenſibus*, certa tamen res *de Angliæ regibus* eſt. Hi verè ſed ſine miraculo ſtrumas ſanant. Datur enim aliqvid poſt tactum morbo hoc infectis, qvo retento, vel, ut alii volunt, corpori extrinſecus applicato, à malo liberi; amiſſo autem vel depoſito, iidem rurſus obnoxii fiunt. Nec poteſt *Delrius*, contra qvem hic diſputo, hoc negare, ſi *hactenus hæreticos nulla miracula feciſſe*, pro vero habere velit, ut l. c. jactat, conſentientemqve habet *Mal-*

der.

dr. de virt. Theol. comment. tr. 10. c. 8. f. 780. & *Forner.* in Palm. Triumph. l. 1. c. 53. *Eliſabetha Angliæ Reginæ* gloriam miraculi denegantem. Notandum etiam eſt, qvod *Barthol.* Hiſtor. Anat. Cent 3. obſ. 66. *fide dignos homines obſervaſſe* ait, *ſtrumas alioſq; tumores aboleri, ſi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani; Ita enim ſenſim evaneſcere humores, prout ſenſim evaneſcit cadaver, qvod tardius hyeme, æſtate citius contingit.* Nec obſtat ratio *Delrii* ſupra data, qvia eam inſtantia de Angliæ Regibus data infringit. Unde argumentor:

Nullus effectus per cauſas naturales per ſe producibilis, cæteris paribus & ſine urgente ratione, miraculo eſt adſcribendus; Non ſolum qvia periodus miraculorum deſiit, ſed etiam, qvia illorum officium eſt neceſſitatem alias inſuperabilem perfingere, & ſupra omnem naturæ ordinem eſſe.

Sed ſtrumarum curatio, Medicis & chirurgis ordinariis impoſſibilis, facta per tactum Regis Galliæ eſt talis effectus, ut probatum. E. ſine urgente ratione, & cæteris paribus, miraculo non eſt adſcribendus.

Jam verò nullam hactenus Galli ſufficientem dare rationem potuerunt, qvæ id in ſuo Rege pro miraculo habendum eſſe probet, qvod ab aliis per naturalem aliqvam virtutem efficitur.

§. 6. III. Ratio eſt, qvia *Rex Franciæ ſtrumas tangendo fruſtrà laborantes conatus fuit reſtituere, & ſæpè multos attingendo hunc ſanavit, illi verò nullum auxilium ferre potuit.* Probatum hoc differt. 1. ex *Moro* & *Boiſſard.* dedimus. Jam ſi hic tactus, qvo ſtrumis laborantes reſtituuntur, ut ſic, eſſet miraculoſus, vel promiſſionem miraculoſi effectus eum ſecuturi verè haberet, ſemper eundem, qvanta etiam mali eſſet pertinacia, obtineret. Unde argumentum:

Qvicunq; tactus uno tempore repetitus aliis eſt ſalutaris, apud alios autem non ſolum illum effectum non conſeqvitur qvi ſupra naturam eſſe dicitur, ſed etiam interdum planè nihil obtinet, ille per ſe non eſt miraculoſus. Tactus Regis Franciæ, qvo ſtrumoſos tangit & ſæpe ſanat, eſt talis, ut probatum. E. non eſt miraculoſus.

§. 7. IV

§. 7. IV. Ratio eſt, qvia *curatio hujus mali non ſolum non fit, ut patet ex Diſſ. 1. §. 13. in inſtanti, aut ſaltem celerius ac citius qvam per naturam ac omnes ejus vires fieri poteſt; ſed & ſæpè imperfecta eſt, adeò ut malo hoc laborantes, ſi perfectam recuperare velint ſanitatem, diſtinctis vicibus ſe tactui regio exponere neceſſe habeant.* Non eqvidem me latet eſſe aliqvod miraculum, qvod cum morâ aliqvâ, & ſpecie difficultatis nec non operoſo aliqvo molimine fuit factum, ſed illud opus extra controverſiam fuit miraculoſum, & ſimpliciter non, niſi Deo concurſu ſpeciali concurrente, potuit produci qvale noſtrum non eſt. Jam qvis effectum, cui ſimilis per naturæ vires eſt producibilis, ſi illum menſim eô modô, qvo naturalis editur, produci videt, etſi qvoad efficiens & modum operandi aliqva intercedat differentia, ſtatim vocet miraculoſum? Unde rurſus ita argumentor:

> Qvicunqve effectus non fit modo miraculoſô, nec eſt ex omni parte perfectus, ſed fit per modum ſubjecti recipientis, ille non eſt miraculoſus. At de curatione ſtrumarum, de qva agimus, verum eſt prius. E. & poſterius.

Alias rationes mitto. Taceo etiam rationem *veri Miraculi* huic tactui non applicari poſſe, qva de re Theologi. Conferſis *B. noſtri Præceptor. Dn. D. Dannhaw Melet.* de Mirac. Nec probant miraculum apparatus iſti religioſi & pii, ut Cl. *Morhof.* contendit, cum pietas non ſolum virtus Chriſtianorum Catholica ſit, verum etiam medicamentis naturali virtute operantibus precibus benedictio cælitus ſit impetranda. Et ſic *ſtrumarum curationem per tactum factam non eſſe miraculum* evictum!

§. 8. Cæterum qvando cauſis naturalibus ſcropharum curationem adſcribo, operæ pretium eſſe judicio, ut qvomodo illæ ſeſe habeant, & qvomodo ſtrumæ tactu naturaliter curari poſſint, oſtendam. Tantum verò abeſt, ut hâc in re, qvam ſibi & paucisſimis qvibusqve notam eſſe cupiunt Reges, dictatorie aliqvid definiam, ut ſatis præſtitiſſe mihi videar, ſi modum poſſibilitatis dedero. Non autem probo ſententiam *Deuſingii*, qvi differt de morb. ſuperſt. Orig. *curationem illam, qvæ tactu fit, pro Magica & ſuperſtitioſa* fruſtra habet;

Cum

Cum non ſolum contra experientiam loqvitur, verum etiam ſic ad omnes effectus, qvorum occulta eſt cauſa, reſponderi poſſet.

§. 9. *Julius Cæſar Vanninus*, Atheorum ille aqvila, qvi Tholoſæ neqvitiæ ſuæ pœnas luit, vid *Grammond.* Hiſt. Gal. l. 3. p. 210. de admir. Nat. arcan. l. 4. Dial. 5. p. 433 edit. Pariſienſ. Influentiis cœleſtibus virtutem hanc tribui non repugnat. *Sed*, inqviens, *qvid vetat aſſerere à cœleſtibus corporibus conferri alicui facultatem ægritudines aliqvas profugandi. Nonne à Chriſtianiſſimis & invictiſſimis Galliarum Regibus, totius orbis Dominis meritiſſimis, ſola manuum impoſitione ſtrumoſos curari pro confeſſo omnes accipiunt.* Et pag. 440. addit: *Cœlorum motrices intelligentias curare hæc inferiora* , (fingit Atheus pag. 384. illas hæc cognoſcere) *maximè reges, qvare ut eos omnes devenerentur, vel Majeſtatem in vultu, ut obſerv*[illegible] *Agrippam* dicit, *vel miram cooperandi facultatem eis partiri*, exempli loco hanc Franciæ Regum curationem afferens. p 390. *miracula aſtris* expreſsè adſcribit. Verum minus ſolide pro tanto, uti videri voluit, Philoſopho, qvi veri numinis exiſtentiam oppugnatum ivit, Chriſtumqve blaſphemiis affecit, hæc dicuntur. Nimis enim præclarus & ſpecialis eſt hic effectus, qvam ut ab ejusmodi cauſa univerſali deſcendere poſſit. Benè etiam *Veracruc.* l. 2. de An. ſpecul. *Delrius* l. c. ſic urget: *Si loqvitur, de conſtellatione qvando iſte naſcebatur : omnes eam vim habituri, qvi tum nati, qvod qvis credat? Si de conſtellatione ſub tempus contactus , poterunt ſanare omnes qvotqvot nunc tangent ; ſi de utraq; ſimul, Annus ille magnus interceſſerit opotret, qvi eandem ſtellarum poſituram & influxus reduxerit qvando tangit, qvi erant qvando natus : At qvis tanto vivit vel vixit tempore.* Sane non tot Franciæ reges, cum non eandem cœli faciem tempore conceptionis & nativitatis obtineant, hâc virtute pollerent, freqventiorq; eadem eſſet , ſi ab aſtris derivanda foret.

§. 10. Minus probabilis eſt ſententia *Cardani* qvi l. de Contrad. Med. Francorum Reges *è longò aromatum eſu* facultatem hanc ſanandi accepiſſe dicit, conf. *Brod.* Miſcel. l. 8. c. 10. Ejusdem pretii etiam illorum eſt opinio, qvi *ſalubritati aëris Gallici*, vel qvia *victu tenuante* ibi utuntur, adſcribunt, & ſic aerem mutantes atq; regionem Galliæ venientes valetudinem recuperare dicunt. vid. *Jacob. Valdeſ.* de Dign. Reg. & Regn. Hiſpan. apud *Limn.* l. c. p. 386 qvam

refutatam vide à regio Archiatr. *Laurent.* de Mir. Strum. San. l. 1. c. 8.

§. 11. Alii *viribus phantaſiæ* morbi hujus ſanationem tribuunt. Ita *Vannin.* l. c. p. 434. ſic diſcurrit, ut, ſi hæc curatio cœlis non debeatur, vehementi vel Regis vel ſtrumoſorum imaginationi tribuendam eſſe, velit innuere. Dicit enim *vehementem imaginationem, cui Spiritus & ſangvis obediunt, rem mente conceptam realiter efficere non ſolum intra, ſed etiam extra. Ergo præpotentem animæ de valetudine cogitationem poſſe ægroto ſanitatis aliqvid impertiri* &c. *Imaginativæ facultati Spiritus & ſangvinem exancillari* idem ait, *idcirco lætam imaginationem, qualis eſt ſanitatis amico conferenda, hilarem generare ſangvinem hilaresq́; Spiritus, qvi per afflatum è corpore expulſi, & ad infirmum ibi propinqvum delati, valetudinem illi adferre poterunt. Cum enim ſint optimi Spiritus, ut qvalitas rei oſtendit, & præpotentes, ut vehementis imaginationis vis declarat, tetros atq; obſcuros Spiritus expulſuros, atq; ita vivificaturos & ſanitatem inducturos eſſe* putat. Easdem vires phantaſiæ adſcribit *Joh. Baptiſt. van Helmont.* Ort. Med. p. 614. *Idea deſiderii,* inqviens, *per modum influentiarum cœleſtium, jaciuntur in proprium objectum, utcunq; localiter remotum. Diriguntur nempè à deſiderio objectum ſibi ſpecificante, non ſecus atq; viſus Baſiliſci, vel nutùs Torpedinis reflectitur in objectum volitum.* Et p. 778. n. 168. *Ingens,* ait, *myſterium propalare hactenus diſtuli, oſtendere videlicet ad manum in homine ſitam eſſe energiam, qvà ſolò nutu & phantaſia ſua qveat agere extra ſe, & imprimere virtutem, aliqvam influentiam, deinde perſeverantem & agentem in Objectum longiſſime abſens.* Verum plura dicuntur qvam admitti poſſunt. Phantaſiam patientis, imo & tangentis, cum aliis facultatibus conjunctam nonnihil hic poſſe non nego; Sed ea qvæ *Vannin.* & *Helmont.* illi tribuunt, falſa ſunt. Egregie *Fien.* de vir. imag. Concluſ. 24. *Etiamſi qvis,* inqvit, *tota die imaginetur ſe eſſe calidum, aut velit eſſe calidus, non ideo calefiet, aut imaginetur ſe eſſe frigidum, non ideò frigeſiet: Æthiops imaginando albedinem per integros annos, non ideò albeſcet: Fœtore anhelitus laborans, imaginando perpetuò odoris bonitatem; non ideo ſibi faciet anhelitum odoratum.* add. *Kircher.* de Art. Magnet. p. 726. ſeq. Videmus eqvidem aliqvando vim morbi, ab eo, qvi ſe ſanum eſſe ſibi firmiter perſvadet, ad breve aliqvod tempus ſupprimi, imò mali principia

cipia, ſi per moram nondum invaluerunt, interdum ſuperari, verum materia peccans non ſemper tollitur, ſed recrudeſcens in pejus erumpit. Ita Ludov. XIV. Galliæ Rex hodiernus, cum anno 1658. in Flandria contra Hiſpanos bellum gerens febris malignæ improbitate corriperetur, licet contra mali initia, ultra biduum, in caſtris adeo ſe geſſerit contumaciter, ut etiam omnibus qveſtibus abſtinuerit, tandem tamen ita ſuccubuit, ut de ſalute ejus deſperaretur conf. *Galeat Grald* Hiſt Pac. inter Galliæ & Hiſp. Reg. pag. 6. ſeq. Unde ſi non imaginatione illi morbi, qvos medici ſanant, tolluntur, qva fronte dici poteſt Franciæ Regem, qvi, phantaſiâ in ſuum agendo corpus, ſeipſum à morbô, à qvo arte medicorum fuit liberatus, non potuit liberare eâdem in aliud agendo, ſtrumam, qvam ex humore craſſo, frigido, indurato ægræqve mobili oriri Medici ajunt, & ab ipſis Chirurgisqve expugnari neqvit, ſanare? Ita minus probabiles habuere ſententiæ.

§. 12. Duæ adhuc de hac curatione ſuperſunt ſententiæ. Altera eorum qvi ad *ſigna Gentilitia*, qvæ Græcis συγγενῆ ſive συγγενικὰ appellantur, *qvibusq; certa familia, vel prærogativa aliqva, vel alia aliqva nota dignoſcuntur*, (verba ſunt *Piccart.* Obſerv. Hiſt. Polit. Dec. 1. c. 7. p. 49.) confugiunt. Ita *Piccart.* modo laudat. l. c. *talis*, inqvit, *prærogativa eſt Regnum Galliæ, qvibus pleriq; hiſtorici tribuunt vim curandæ ſtrumæ.* Et *Scævola Sammarth.* Elog. l. V. pag. 155. Elog. *Nic. Balliol.* ſic loqvitur, *Amica benigni ſideris virtute Deus è cœlo dona plane mirifica nonnullis familiis, imo & gentibus non ſemel indidit, qvæ ſingulares effectus producere & ſalutares humano generi fructus abundè proferre conſveviſſent. Sic Regibus noſtris Chriſtianiſſimis admirabile illud ac cœleſte munus tactu ſolô ſtrumas perſanandi, peculiari præpotentis Numinis gratia, conceſſum fuit. Sic Marſorum in Italia & Pſyllorum in Africa* &c. Nota etiam eſt ſententia *Pomponat.* qvi l. de Incant. c. 3. *nihil repugnare*, ait, *qvin in totâ humanâ Specie eadem facultates inveniantur, qvæ in plantis, lapidibus, animalibus; adeo ut in unô homine ſit virtus illius lapidis, in alio illius plantæ aut animalis.* Unde dicat qvis, vel Herbæ, vel alterius rei virtutem medicis ac chirurgis ignotam, *Capetingis* ineſſe, beneficio cujus malo hoc infectos liberant; Præprimis cum huic uni, non aliis morbis curandis Reges Franciæ pares ſint. Licet autem hæc

 ſenten-

ſententia variis prematur difficultatibus, ſi e. g. jam per VI. ſecula virtutem hanc Reges Galliæ habuiſſe conſideretur; ratio tamen *Delrii* nulla eſt. Unde enim certo ſcit, virtutem hanc non cadere in Regis Fratres, vel alios de Sangvine Principes? A negatione ſane actus ſecundi non tentati ad negationem actus primi non V. C.

§. 13. Altera & probabilior adhuc eorum eſt ſententia, qvi *beneficio olei cujusdam, vel balſami* præſtantisſimi & efficacisſimi, paucisſimis ſub juramento ſilentii noti, *manibus, aut extremitati digitorum regiorum, antequam ſtrumoſi tanguntur, alliti* laborantes reſtitui opinantur. Sane *Joh. Aubrius* Med. Reg. Pariſ. Epiſt. de Qvint. Eſſ. nuper edit. ſe paratum habere ait remedium hactenus incognitum, *ceram aſtralem, qva variæ ſtrumæ, nulla adhibita ſectione, diſſolvuntur qvam leniſsime, nulla ibi relicta nota nec cicatrice*. Et certè lis eſſet perorata, ſi hæc opinio, certis hiſtoricorum teſtimoniis poſſet roborari. Aliqvid tamen ſubeſſe, nec plane hanc ſententiam, qvæ inter omnes de hac re opiniones, maxime probabilis eſt, eſſe rejiciendam, apparent veſtigia. Sic enim refert *Cal. Calcagnin.* apud *Piccart.* Obſervat. Hiſtor. Pol. l. c. qvod *viderit Bononiæ* FRANCISC. I. *ſaliva tantum pollice in decuſſem allita ſtrumis mederi*. Verum nos hâcin re certi nihil definimus; ſeu hanc ſ. illam lector elegerit ſententiam, non experietur nos ſibi contradicentes, licet hæc, ut dictu ſit probabilior, ſi non plane certa. Sufficiat nos rei ipſius naturalitatem probaſſe, & etiam posſibilitatem oſtendiſſe; Altius enim ea, qvæ Reges ſibi non aliis nota eſſe volunt, ſcrutari noſtrum non eſt. Ita conſtat Pharaonis Magorum ſerpentes, qvod Moſes miraculosè produxit, per cauſas naturales productos eſſe, etſi de modo productionis nondum ſit res plane expedita.

§. 14. Cæterum licet admodum obſcurum ſit, *qualis* ſit hæc virtus, qvæ hunc producit effectum & *qvomodo* in ſtrumam *agat*, non male tamen eam qvis *Magneticam* ſ. *Sympatheticam* vocaverit. *Nullus*, inqvit *Kircher*, Art. Magnet. l. 3. pag. 627. *adeo exoticus & prodigioſus in toto naturæ ambitu effectus reperitur, qvi aliter contingat niſi qvia illud, qvod ab uno per medium intra ſphæram activitatis ſuæ diffunditur, alteri in eadem ſphæra poſito commodè vel incommodè propter convenientiam & conformitatem, vel disconvenientiam & difformitatem*

tatem naturæ accidat. Sex Sympathiæ ſpecies agnoſcit *Johan. Chryſ. Magnen.* Democr. Reviviſc. Diſp. 2. cap. 3. propoſ. 22. pag. 199. ſeqq. qvarum V. *qvam Sympathiam Ariſtotelicam* appellat, hujus loci eſt. *Qvinta* inqvit, *ratio Sympathiæ eſt omnium univerſaliſſima, & qvæ paucioribus erratis ſubjacet, oriturq; ab occulta proportione, qvæ eſt inter agens & paſſum, ita magnes trahit ferrum ære omiſſo &c.* Duplex hæc eſt *Sympathia*, alia *Specierum*, alia *Individuorum*; Illa toti competit ſpeciei. Hanc eam eſſe dicit *Franc. Bacon. de Verul.* Sylv. Sylv. Cent. 10. §. 911. *qvæ in rebus autem earum partibus ſemel contiguis aut integris tuetur reciprocam ſpirituum inter ſe transmiſſionem, ut inter arma & vulnus; Inter particulam lardi & verrucas eo confricatas, aut bacillum ex alno, &c. ut ſi pars ejus conſumatur aut putreſcat, vim ſuam exerat in partem ſeparatam.* Ad num. 997. ubi, cum qvâ ratione verrucæ lardo vel viridi ex ſambuco bacillo perfricatæ, ſi id qvod affricueris, putredini permiſeris, tollantur; dixiſſet, addit: *Tentari poſſe in clavis pedum & ſtrumis atqve ejusmodi excreſcentiis; In partibus etiam animantium, qvæ excreſcentiis maximè ſunt affines, ut criſtis & calcaribus Gallorum; beſtiarum cornibus &c. Modus tentandi ſit duplex, ut vel perfricentur partes lardo aut ſambuco, ut in ante dictis; aut partibus illis in minores reſectis, habeas qvæ conſumendæ relinqvantur, videasq; qvid conſumptio particulæ ſeparatæ valeat in aliqvando conjunctam.* His ſi ſtandum foret principiis, dici deberet, cum Franciæ Rex ſtrumoſos tetigerit, per ejusmodi ſpirituum inter ſe transmiſſionem, qvæ ex Sympathia oritur, laborantes reſtitui. Nam non ſemper neceſſe eſt, ut id, qvod affricueris, putredini permittas. Verum qvicqvid ſit de verrucis qvæ, ſi particulâ lardi aut bacillo ex ſambuco perfricentur, & id qvod affricueris putrefactum fuerit, tolluntur, cum experientiæ viri illuſtris contradicendi mihi ſit religio: Nego id factum eſſe *per ejusmodi ſpirituum reciprocam inter ſe transmiſſionem.* Si enim lardo & Sambuco verrucas tollendi ineſt virtus conta-

 ctus

tactus iſte corporalis, qvem *Bacon.* præſupponit, dicit enim *Angli Oratoris uxorem ſibi lardi pingvedine illeviſſe omnes verrucas*, ad eas tollendas ſufficiens, nec ulteriori ſpirituum transmisſione reciproca opus erit. Impoſſibilis etiam eſt. Cum enim operationes ex transmisſione ſpirituum & imaginatione hoc habere peculiare dicat, *qvod ad diſtantiam ſe exerant, non ad contactum*, vel intelligit vir experientisſimus actionem in diſtans *excluſive*, ut tam corporalem, qvam virtualem contactum excludat; vel intelligit eandem cum excluſione contactus tantum corporalis non verò virtualis. Priori ſenſu *actionem in diſtans* refutat *Kircher.* Art. magnet. lib. 3. pag. 627. *Nullum*, inqviens, *in rerum natura agens naturale aſſignari poteſt, qvod effectum in extremo producens non agat per medium, neqve enim res per conſenſum autem diſſenſum invicem alia ratione ſe ſentire & alterare videntur, niſi qvia, ut ſupra dixi effluvia qvædam, ſeu ea ſint qvalitates, ut in magnete, lumine cæteriſq; miſtis corporibus, ſeu corpuſcula, vapores, & exhalationes ſubtiles & tenues, ut in odoriferis corporibus, è corporibus promanantia, per medium intra activitatis ſphæram uniformi difformi motu latam, ubi ad corpus, vel ob ſimilitudinem & convenientiam proportionatum, vel ob contrarias leges diſſimile, improportionatum, diſſentiensq; pervenerint, ſenſibiles alterationes oſtendunt, & effectus qvosdam, qvi non apparent in medio &c.* Poſteriori ſenſu actionem in diſtans, etiam per medium virtutis iſtius non capax, concedo; Sed ea hoc loco non obtinet. Tollentur enim verrucæ, ſi lardum affricueris, etſi poſtea, te altas viſitante terras, maxima locorum intercapedo intercedat inter verrucas & lardum. Cum enim extra ſpæram activitatis lardi agentis tum ſint conſtitutæ, nullam qva afficiuntur accipere poſſunt virtutem. Inſtantiæ qvæ *de ungvento armario,* & *pulvere ſympathetico* Illuſtr. *Kenel. Digb* dari poſſunt, petunt principium. *Magnum magnale*, ſeu *Spiritum univerſi*, qvi Sympathiæ & Antipa-

tipa-

tipathiæ Leno, confabulator, actionum promotor, & ratione cujus magnetiſmus ad diſtans objectum tanqvam vehiculo extendi dicitur, *Spiritum* itidem *aſtralem*, *ſpiritusq; Mechanicos* in abyſſo naturæ abditos, tanqvam ingeniorum luſus hanc rem non conficere arbitramur. Unde etiam patet, qvid de iſta ſpirituum inter ſe reciproca transmisſione, qva, præcedente contactu à Rege Galliæ facto, ſtrumoſi reſtitui dici poſſent, judicandum ſit. Num vero *ſtrumæ* tali modo, qvo *Baconus* tentari jubet, tolli qveant, illi qvorum hoc officio competit, explorent. Rejecta ergo *Bacon.* viri cætera doctisſimi, ſententia, nos *Individuorum Sympathiam* vocamus qvando ejusmodi aliqva vis peculiaris non omni ſpeciei, ſed certis tantum ejus individuis competit. Referenda hinc eſſet mira, ſanandi ſtrumas, de qva hactenus diſputavimus, facultas, ſi eam congenitam & ſignum *Capetingorum* gentilitium eſſe certo conſtaret.

§. 15. Cæterum virtus hæc qvæ ſtrumas pellit, ſeu inſita, ſeu acqviſita & adventitia ſit, per contactum ad ſtrumoſum corpus delata, dum materiam ſtrumæ ſibi ſimilem & convenientem proportionatamqve reperit, iſtum qvem ſic omnes admirantur edit effectum. Obſervatu dignum eſt, qvod de *Matrona* Nobilis cujusdam *Helmont.* Init. Phyſ. inaud. pag. 754. num. 33. dicit, ſcil. eam *ſubinde Podagra fuiſſe correptam, qvod ſederet ſede, qva frater ejus olim podagricus ſedere ſolitus fuerat.* Dubio hoc procul factum fuit ab effluviis qvæ ex corpore fratris exhalantia, illi loco adhæſerunt, & per iſtum contactum corporalem poſteà excitata, in corpore præſenti ſibiqve connaturali, vires ſuas exeruerunt. Pari ratione putet qvis virtutem iſtam qvæ ſtrumas ſanat agere ita ut facto à Rege contactu, influentia ſua centro ſtrumæ tacto convenienti naturæ ſuæ modo agendi, hoc eſt magnetico, ſtrumam, ceu materiam in qvam agat ſibi convenientem & proportionatam, afficiens, laborantes à malo cum qvo confligantur, liberet.

Qvæſtio-

Qvæſtiones coronidis
loco annexæ.

I.

An Ideæ averſionis vel inclinationis ex aliqva re conceptæ, in homine adæqvata cauſa ſint Antipathiæ vel Sympathiæ, ut *Carteſius* ſtatuere videtur? Negatur.

II.

An ex cineribus plantæ eadem planta aliqvo modo poſſit reſtitui, ut dici poſſit reſurgentis ſpeciem præbere? Affirmat.

III.

An vis qvædam magnetica cauſa conſiſtentiæ globi terreni in medio mundi ſit? Affirm.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE